



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 10. An delectatio morosa de actu luxuriæ, v. g. copula cogitata
contrahit non solùm malitiam substantiæ operis, sed etiam
circumstantiarum cognitarum ei annexarum, & speciem mutantium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

viores insurgant, vel si ad illos motus expellendos dimittenda esset actio honesta necessaria, vel utilis, v. g. auditio confessionum, studium casuum conscientiae; tunc sufficiet displicentia vera: alioqui homines deberent semper esse anxii, & multa bona omittere.

Porro medium aptissimum compescendi motus illos est mentem statim aliò avertere; & si perseverent, orare, signo crucis se munire, oculos ad imaginem Christi Crucifixi convertere, cogitare de ejus Passione, de igne æterno, morte, &c. Interdum de re indifferenti, aut negotio, quod animum applicet, & à tali objecto avocet,

Q. 10. An delectatio in rosa de actu luxuria, v. g. copula cogitata, contrahit non solum malitiam substantiae operis, sed etiam circumstantiarum cognitarum ei annexarum, & speciem mutantium?

Resp. Aff. Ita S. Antonin. Cajet. Suarez, & alii: quia talis delectatio versatur circa opus ut cogitatum: ergo illius objectum est id omne, quod cognoscitur; ac proinde non solum opus, sed etiam circumstantiae illi annexae, & cognitae, sunt ejus objectum. Actus autem sumunt speciem, ac malitiam à toto objecto suo: & ad illam contrahendam sufficit voluntarium indirectum, ac interpretativum. Hinc simplex delectatio deliberata de copula cogitata

tata cum conjugata, vel confanguinea pertinet ad speciem adulterii, vel incestus.

Q. II. *An oscula, aspectus, tactus impudici sunt culpa mortalis in non conjugatis?*

Resp. I. Ista omnia, imò & amplexus, oscula, & tactus partium etiam honestarum ut faciei, manûs, sunt culpa mortalis, si extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ potest ex illis sequi, etiam ibi sistendo: idem dic de tactu partium proprii corporis. Est communis, & constat ex dictis: nam mortale est extra conjugium quærere, aut advertenter admittere quamlibet delectationem veneream, vel minimam, cum hæc parvitatem materiæ non admittat, & ex se tendat ad seminis effusionem, ideòque ad pollutionem, vel fornicationem in non conjugato.

Hinc (ut docet S. Antonin.) est etiam mortale permittere se tangi, etiam in facie, vel manu, ab eo, qui noscitur ad id moveri amore libidinoso: quia est cooperari, & consentire alterius culpæ mortali. Digni autem sunt morte, non solum, qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *ad Rom. 1.*

Resp. II. Tactus partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis ejusdem, vel diversi sexûs sunt mortales, si fi-